Upsaliæ d. 28 Jan. 1879.

Vir præclarissime!

Negotiis depressus, commercium literarium fere omnino negligere per ultimos annos coactus sum. Inde quoque evenit, ut imagines Patris meaque ipsius nondum transmissæ sint, etsi longe abhinc promiserim. Nunc tandem in hac epistola inclusæ veniunt. Spero Te benevole velle Tuam mihi dare.

Biographiam Patris defuncti eam ob caussam non misi, quod – quantum scio – nulla exstat nisi suetice scripta. Nostra vero lingua Tibi sine dubio omnino est barbara. In diario botanico, Journal of Botany, a cel. Trimen edito, invenies biographiam anglice conscriptam.

Ante aliquot dies centuriam XIV Mycothecæ Venetæ accepit museum nostrum botanicum. Pretium hujus fasciculi idem esse ac priorum existimans, ital. lib. 10 mandato epistolari hodie mitto.

Valeas mihique faveas!

Devotissimus

Th. M. Fries